

Victor i, voti Clodovee compos,  
 Sub iugo Christi caput obligatum  
 Pone ; te Remis manet infulata  
 Fronte sacerdos.

Ludor ! en signis positis ad aram  
 Ipse rex sacris renovatur undis,  
 Et cohors omnis populusque dio  
 Tingitur amne.

Roma ter felix, caput o reuatae  
 Stirpis humanae, tua pande regna :  
 Namque victrices tibi sponte lauros  
 FRANCIA defert.

Te colet matrem ; tua maior esse  
 Gestiet natu : potiore vita  
 Crescet, ac summo benefida Petro  
 Clara feretur.

Ut mihi longum libet intueri  
 Agmen heroum ! Domitor ferocis  
 Fulget Astolfi, pius ille sacri  
 Iuris amator,

Remque Romanam populantis ultor :  
 Bis per abruptas metuendus alpes  
 Irruit, summoque Petro volentes  
 Asserit urbes.

Lætus admiror Solymis potitas  
 Vindices sancti virguli phalanges :  
 Me Palæstinis renovata campis  
 Prælia tangunt.

O novum robur celebris puellæ  
 Castra perrumpens inimica ! turpem  
 Galliæ cladem repulit Ioanna  
 Numine freta.